



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 6. Basileensium Delegati ad Imperatorem profecti

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.

A. C. 1442.

§. VI.

*Basileensium Delegati ad Imperatorem profecti.*

**A**beunt ergo ambo Delegati die quinta Aprilis hisce mandatis plene instructi. Ast cum famæ rumores quaquaversum nuntiarent, Fridericum jamjam itineri accinctum proxime Francofordiam ad Imperii comitia venturum, Basileenses collatis inter se consiliis decernebant, ut solemniori Legatione Cæsarem honorarent. Id muneris recusabant neo-electi Cardinales; memores enim erant nuperæ ignominiae, qua ceteri Deputati non ita pridem in Moguntino Conventu afficiebantur, haud absque ratione metuentes, ne & ipsi, ut antea factum, dignitatis suæ insignia deponere cogerentur, ac nequidem Cardinalium habitu ornati comparere permitterentur. Nihilominus Felix, pluresque alii jubebant illos bono animo esse, ante eorum oculos ponentes, officii sui partes exigere, ut pro defensione veritatis ac justitiæ, necnon ad tuendam Concilii æquitatem quidvis aggredierentur, & adversa quæque tolerare parati essent, etiamsi vestes purpureas, dignitatis suæ tesseram, exuere compellerentur. His ita corroboratis, agebatur de seligendis ejusmodi Delegatis: ubi  
suffra-

suffragantium vota inclinabant in Cardinalem Arelatensem, aliosque duos recens creatos Cardinales, nimirum Archiepiscopum Panormitanum, & Joannem Segoviensem. Hi ergo Basilea discedentes mense Majo navem conscendebant, secundo Rheno iter aggressuri.

Secul. XV.

A. C. 1442.

§. VII.

*Ferrariensis Concilii Sessio post Græcorum discessum quinta.*

Totum Eugenii animum occupabat Florentinæ Synodi cura, cujus quinta post Græcorum discessum Sessio die vigesima sexta Aprilis hoc anno celebrata est, in qua Pontifex Concilium Florentia Romam, approbante ipsa Synodo, transferendum proposuit, eo ex fine, ut majorem auctoritatem ex ipsius loci dignitate acciperet, & ut clarioribus honorum signis magni Æthiopiæ Regis Zara-Jacobi Oratores, qui ad Concilium Oecumenicum fidei orthodoxæ suscipiendæ animo properabant, excipi possent, subjunxit quoque Eugenius, Synodum esse proseguendam in Basilica S. Joannis in Laterano, decima quinta die post ejus ad Urbem reditum. Addidit & alias causas, quibus hanc translationem justam, utilemque fore ostenderet, nimirum opportunitatem loci, omnium necessariorum

*Acta Patrici  
tom. 13. pag.  
1599.*